

24.

In festo Transfigurationis. In primis Vesperis.

1. Quicumque Christum queritis,
Oculos in altum tollite;
Illic licebit visere
Signum perennis glorie.

2. Illustre quiddam cernimus
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius coelo et chao.

3. Hic ille rex est gentium
Populique rex Judaici,
Promissus Abrahe patri,
Eiusque in evum semini.

4. Hunc et prophetis testibus,
Iisdemque signatoribus,
Testatur, et pater iubet
Ipsum audire et credere.

5. Gloria tibi domine,
Qui apparuisti hodie,
Cum patre, et sancto spiritu,
In sempiterna secula. Amen.